



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 186. Commissarii ad informanda Judicii acta contra Joannem Hussum  
nominati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. CLXXXV.

*Alii articuli a Posnaniensi Episcopo  
propositi.*

Bzov. &  
Spond. an.  
1415.

Hiscæ articulis unanimi totius Concilii suffragio confirmatis, alios protulit Posnaniensis Episcopus, quibus ad proximam Sessionem via sternebatur. Petiit ergo I. Pontificis fuga, necnon libera ac certa Concilii continuatio, nil obstante ejusdem absentia, datis ad Reges, Principes & Universitates epistolis significetur. II. Poenæ decernantur in eos, qui spreta prohibitione clam e Concilio discesserunt. III. Sententia a Concilio Romano adversus Joannis Wiclefi doctrinam lata confirmetur, atque ejusdem libri flammis tradantur. IV. In materia fidei & præcipue in causa Joannis Hussi Cardinales, & Prælati delegentur Commissarii, eisque adjungantur Theologiæ & Canonum Doctores. Hæ omnes propositiones pariter a Patribus fuerunt approbatæ.

§. CLXXXVI.

*Commissarii ad informanda Judicii  
acta contra Joannem Hussum  
nominati.*

Cameracensi & S. Marci Cardinalibus,  
Dolensi Episcopo, & Cisterciensium  
Abbat



Abbati demandata est potestas judiciaria, <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 ut Joannis Hussi acta prosequerentur, & <sup>A. C. 1415.</sup>  
 latas in Joannis Wiclefi doctrinam sen-  
 tentias innovarent, præcipue vero illam,  
 quæ fulminata erat adversus quadragin-  
 ta illos articulos, jam antea a Parisiensi  
 & Pragensi Universitatibus damnatos.

## §. CLXXXVII.

*Preces ad Imperatorem de Papa Con-  
stantiam revocando.*

Post hæc Episcopus oretenus, & per mo-  
 dum consilii proposuit, supplicandum  
 esse Sigismundo tum præsentem, ut datis  
 literis Joannem ad Synodum redire, at-  
 que ad liberandam Ecclesiæ, & Concilio  
 datam fidem induceret, ita tamen, ut  
 honorifice eum haberet, omnique liber-  
 tate frui permetteret. Imperator de loco  
 surgens dicebat, se quidem scire, quod  
 Papa sub Ducis Austriaci præsidio in  
 Lauffenburgensi arce moraretur, nescire  
 tamen, utrum vel ipse redire, vel illum  
 Dux dimittere velit. Verum quicquid  
 de hoc esset, se, ut Synodi voto conce-  
 deret, Joannem data epistola ad reditum  
 etiam precibus permoturum, ideoque  
 illi publicæ securitatis literas missurum  
 esse. Quinimo fidem dedit, si Concilio  
 expedire visum fuerit, se in propria Perso-  
 na